



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

43 Ozia Amasæ Filius. Paraphrasis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

O Z I A

AMASÆ FILIUS.

P A R A P H R A S I S.

*Hoc in tumulo, non tumulo, jacuit non jacuit
Vivum cadaver Regis agricola.*

*Qui victor victus, Deum sprevit dum coluit,
Et vulneratus ut convalesceret, moriendo convaleuit.*

Hunc vivos fugientem, mortui timuerunt.

*Relatas ad hunc griphum, Viator? paraphrasin cape,
Hic est Ozia Rex Juda;*

Qui urbana vitia in suburbio declinavit.

Rediit sub hoc Principe ad suum exordium Regia dignitas;

Nempe ad Pastoritiam,

Hic triumphali aratro terram domuit.

Unde nixa fecunditas;

Cum trabeato Agricolaë vestigalior serviret tellus;

Et regia manu maritata gemmarent Carmeli vites.

Audiant Principes qui ex Urbium cibere aurum citibrant.

Veræ fodinæ sunt sulci;

Bobus, non hominibus graves.

Ibi vegetæ opes radices agunt.

Mas humanissima humus sinu promit;

Quæ Hominum alitrix, & alumna,

Rivis nutrita, frugibus nutrit,

Huic uni fœnerabantur utique Reges,

„ Quibus pro oculis erant scrobes.

„ Nunc terram dedignantur terræ filii;

Nec colere modo, sed calcare.

Nam purpurâ interpositâ à se Matrem fecerunt;

Eandem perosi pro quâ dimicant

Hinc Principum, lubricæ opes, quia sine radice,

Plutus à Cerere gignitur & Jafone;

Segete, & vellere:

Utroque succrescente sumentibus.

Rubiginem vomeri non indulsit; sed neque gladio.

Utraque Martis materia, ferrum:

Utroque modo terram subegit,

Phil-

Philistinos, Arabas, Ammonitas,
 Tam facile sub jugum misit, quam juvencos.
 Gethum, Iabiam, & Azothum, hostiles Urbes,
 Eodem vomere quo glebas, exaravit.
 Pari lusu vulpeculis tragulas, & balistas hostibus tetendit.
 Eâdem arte segetum messor, & capitum.
 Cereis falcem morti commodavit.
 Ita ex arvis ad arma, ex armis ad arma divertens,
 Oleas messuit, quas ipse confecerat,
 Sed utinam ne extra suas oleas.
 Nimirum vanidâ victoriarum distentus aurâ
 (Qui felicium est moribus)
 Sacerdotali sibi jure arrogato,
 Sacro thure profanus adolet.
 Oh, quid agas mitrate villice?
 Te aratrum decet, non ara.
 Huic fumo successit flamma; ambitioni iracundiâ.
 Uno scelere bis injurius,
 Cœlum thure, thuribulo Mystas exterret.
 Non dilata vero vindictâ,
 Subita lepræ illuvies Regiam frontem populatur;
 Et infulæ locum fœdat.
 Decebat talem Pontificem talis lamina,
 Ut frontonis superciliam deprimeret.
 Dicitur etiam Tellus ingenti fremitu trepidasse,
 Exitura de centro, nisi ille de Templo.
 O fluxa, Reges, gaudia!
 Cum ipsum, supra quod statis, instabile sit.
 Atqui cum sua Tellure tremens Ozias,
 Extemplo resilit ex Templo:
 Et Regno exauthoratus,
 E vivis migrans non è vitâ,
 Marcido in corpore non sepultus, & insepultus,
 Solivagos intra penates lugendo consenuit.
 Diu expiravit vivum cadaver;
 Sero moritur, jam mortuo similis;
 Et avito sepulcro interdactus,
 Agro tumulatur, quem coluit.
 Adeò superbiorum contactum vel Mortui pavent.

Habes griphi sententiam,
Viator abi.

JOATHAN
OZIAE FILIUS.
LEGATIO.

Adesto Fama.

Ad Principes te delego,

Unico exemplo magna consilia transacturam.

Joathani Regis virtutes Regibus refer,

Ut emerito Patri succedens puer,

Fesso Athlanti Alcides integer,

Ægro Parentis capiti supposuit suum,

Felix Genitor, qui vitâ peractâ vivens,

Successoris virtutes non speravit, sed spectavit.

Felix puer, qui paternæ frontis adspectu, frontem remisit,

Et humilitatis magistrum habuit tumorem.

Et quis credat? unum caput alterius morbo sanatum.

Addetur Isaïæ, Zachariæ, Oseæ, Amosi,

Nobilibus spectris admonitus,

Rectum iter institerit,

„ Nam veritas privatæ fortunæ bonum.

„ Ad Principes non illabitur, nisi è Cælo:

Non immeritò Jovis Filia,

Prædica, ut Numine usus propitio,

Syriæ & Israelis conjuratos Reges cohibuit:

Ammonitas semper cæduos feliciter cecidit:

Numquam non lædente ferro, numquam læsus.

O militiam innocentem!

Ubi ad meliores partes applicante victoria,

Nemini nocebant arma, nisi nocenti:

Et rector rectorius collimabat.

Post militare, civile studium exaggera.

Ut sanctæ Urbis intuta muniit, diruta erexit:

Nec molles fundavit moles, sed sibi similes.

Ut Dominus ex Domo, Domus ex Domino agnosceretur,

Turrim Ophel evexit supra nubes,

Regiæ mentis Idæam semper serenhæ.

Portam